



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 64. Simulatum Pontificus iter in Hispaniam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

fuis debiti stipendii partem numeraret. Sæcul. XVI.
 Ad augendum vero proprium suum æ- A.C. 1526.
 rarium in Moronum Cancellarium mor-
 tis sententiam pronunciari iussit, qui
 et vitam suam redimeret, Borbonio vi-
 ginti quinque nummum aureorum mil-
 lia obtulit.

§. LXIV.

*Simulatum Pontificis iter in
 Hispaniam.*

Ceterum Francisci Regis cunctatio in-
 genti admiratione summum Ponti-
 ficem afficiebat, eo potissimum nomine,
 quod Galliarum Rex, licet ipse præci-
 pius conflati fœderis auctor esset, nul-
 lum adhuc conatum adhibuisset, quo
 Cæsarem ad reddendos Regis Filios
 compelleret. Nec minus rara Pontifi-
 ci videbatur Angliæ Regis incuria; quod
 enim ambo Reges Cæsarem conjunctis
 viribus aggressuri essent, firmiter sibi
 persuasum habebat; ignorabat enim,
 quod Moorense fœdus duntaxat ad re-
 pellenda, non item ad inferenda arma
 conclusum fuisset; ut igitur æmulatio-
 ne inter eos conflata illorum animos
 accenderet, divulgabat, se iter in Hispa-
 niam decrevisse, ut cum Cæsare confer-
 ret, junctisque consiliis de pace Euro-
 pæ reddenda cum eo agere posset. Hæc
 Papæ

Sæcul. XVI. A.C. 1526. Papæ declaratio non parum Franciæ, & Angliæ Legatos angebat; verebantur enim, ne itineris tam insoliti obtentu clandestina tegerentur consilia; quapropter nihil non agebant, ut Pontificem a proposito dimoverent, eique periculum exponerent, quod abs dubio immineret, si relicta Romana urbe sese Cæsaris arbitrio relinqueret.

§. LXV.

Papæ rescissis concordiæ pactis Columnensium perfidiam ultus.

Interea Henricus VIII, ut prætensi itineris consilium penitus everteret, potentiori usus medio, Pontifici triginta nummum aureorum millia dono dedit. Clemens hoc subsidio fultus, nova suscepit consilia, ac concordiæ pacta, quæ cum Columnensibus inierat, rescidit, & nuperam illorum perfidiam anathematis pœna multavit; postea vero copias, quas Roma evocaverat, ad eorum ditiones prædatum excurrere iussit, necnon Pompejum Columnam Cardinalitia dignitate exuit. Paulopost duodeviginti millium exercitum contraxit, ejusque imperium Valdemontio Comiti comisit, dato negotio, ut Neapolitani Regni finibus appropinquaret, atque Angevinæ factionis reliquias rursum